



M. l. 286^a
nicht verhebet
nicht PK

1) Rinarius, Joh.

nebst 21—40)

(No. 31 enthält
allein 20 Disputationen)

2 mit Widmungen
an Ludolph

Disputatio

DE SVBIECTO MORBI:

IN QVA,

D. O. M. A.

PRAESIDE CLA-

RISSIMO VIRO ANDREA PLANE-
RO ATHESINO, DOCTORE ET PROFESSORE
artis Medicæ in Academia Tubingensi celeberrima, Præ-
ceptore suo summa fide & obseruantia colendo:

16. Calend. Ianuarij, hora septima matu-
tina, in Medicorum Auditorio,
exercitij causa respon-
debit,

ML 286^a

M. IACOBVS ZVINGGERVS
Schorndorffensis.



T V B I N G A E,
Excudebat Georgius Gruppenbachius.
Anno 1585.



Dissertatio

de Anacardi Mors

FRANZISKA

VIRO ANDREA PLANE

DOCTORI ET PROFESSORI

in Medicinae et Chirurgiae

in Universitate Lipsiensi

Publico

Defensurae

sub die 15 Junii 1771

in Lipsia

MDCCCLXXI

Leipzig



T. VI. G. A. B.

Josephus Georgius Gumpelchius

Leipzig

I.
DISPUTATIO
de subiecto morbi.

QVAESTIO.

GVM GALENVS IN LIBRO DE DIFFERENTIjs symptomatum, morbum ἐκ προσθέσεως, ἢ ἐκ πάθος *physicum*, definiens, dicat, νόσημα ἐστὶ διαθεσιμὸν ἢ ἀφ' οὐσίας τοῦ σώματος: non immeritò quaeritur, utrum corporis tantùm animati sit morbus, an verò partes etiam quaedam inanimatae in humano corpore possint subijci morbo, sic ut rectè dicantur egrotare & laborare morbo.

Thema I.

Aliàs Medici tres illas ἀφ' οὐσίας διαθέσεις, nempe morbum, causam morbi & symptoma distinguunt ratione trium rerum, quae in corpore hominis deprehenduntur. Nam morbū adscribunt ipsis partibus solidis animatis, ut venis, arterijs, nervis, ligamentis, carni, visceribus, ossib. & reliquis: et quae animata non sunt, cuiusmodi existunt Spiritus, humores, & alia, utcunq; in corpore contineantur, morbo laborare negant.

2. Causam morbi adscribunt ipsis contentis, quae ratione, qua animata non sunt, morbo participare nequeant: sed nihilominus qualitatibus suis ἀφ' οὐσίας, vel quantitate, vel corruptione etiam totius substantiae, cause fiunt morborum, adeò ut pleriq; morbi propter ista contenta, eorumq; vitia, corpora hominum exerceant.

3. Functionibus & ἐνεργείαις partium adscribunt symptomata, ut quae nihil aliud sunt, quàm ipsae lesiones ἐνδργειῶν, quod praesertim toto primo genere symptomatum perspicimus: quanquam etiam reliquae duae differentiae symptomatum ad læ-

sionem ἐνδρυσίω, tanquam effectus quidem illius lationis, referri possunt & debent: cum non oboriantur & existant in corpore, si non præcesserit lesio alicuius ἐνδρυσίω partis. Et sic videtur, quòd in Spiritibus & humoribus nò sit morbus: sed tantum habitus ille πρὸς Φύσιν còueniat partibus solidis & continentibus.

4. Veruntamen nihil obstat, quò minus cum sanitatem tum morbum etiam, nominatis modò contentis adscribamus. Etiam si enim animata nò sunt, nec actionem aliquam animatam exerceant, cuius solius impeditio, ut videtur, sit morbus, liberum autem exercitium sit sanitas: tamen sunt in corpore animato, eiusq; ἐνεργείω sunt cum materia, tum instrumentales causa, tum obiecta, in quæ partes animata actionem suam dirigunt.

5. Sic namq; sanguis κτ' Φύσιν affectus, materia fit nutritionis solidarum partium, ut quem certa alteratione in suam substantiam commutare soleant. Si autem is πρὸς Φύσιν se habeat, tum aut omninò non, aut deprauatè & vitiosè corpus nutritur, ut in hydrope, καχεξία, scabie, & alijs vitijs apparet.

6. Iam motionum & sensuum instrumentales causæ sunt ipsi spiritus, partibus corporis implantati & influentes, qui si etiam κτ' Φύσιν sese habeant: Vtiq; sensuum organa ceteris paribus sua percipere obiecta, & artus ac membra corporis mouere & agitare possunt musculi. Sin autem grauis quædam affectio ipsos Spiritus opprimat: tum sensuum ἐνεργείω, tum practicos quoque membrorum motus impediri constat.

7. In genere, contenta ipsa sunt obiecta & patientia corpora, in quæ suam actionem agentes particule solidæ dirigunt, quam etiam exercere valent, si κτ' Φύσιν, & ritè disposita fuerint illa patientia: si aut vel qualitate vel quantitate contra naturam se habeant, tum actionem suam p. oducere amplius non possunt.

8. Siquidem omnium agentium naturalium, ex quorum numero etiam sunt solidæ ac continentes humani corporis particule,

cula, determinata est conditio & vis respectu patientium: nec agere quoduis potest, nisi certa mensura, rectaque qualitate, tempore, loco, modoque sit præditum, id quod patitur. Vnde præclare Aristotel. lib. 2. de generatione animal. dicit: Calorem etiam seminalem non ex qualibet seminis parte carnem aut os facere, neque quolibet modo aut tempore, sed ex materia apta, & ut aptè, & cum aptè effici potest.

9. Quod si nullam prorsus cum viuente & animato corpore connexionem haberent, utique morbum & sanitatem contentis illis non adscriberemus. Quia verò in ipso corpore viuente suum esse retinent, & aliquo modo etiam ipsius partes dici possunt: atque insuper illis $\kappa\tau\prime$ $\Phi\upsilon\sigma\iota\kappa\eta$ habentibus, corpus animatum $\epsilon\upsilon\epsilon\gamma\gamma\epsilon\iota\alpha\varsigma$ suas prestare potest: $\pi\acute{\rho}\alpha$ $\Phi\upsilon\sigma\iota\kappa\eta$ autem illis affectis, easdem exercere amplius & præducere nequit, etiamsi ipsum corpus per se non laboret: profectò non sine causa talibus etiam contentis, cum sanitatem tum morbum adscribere oportet.

10. Ac quod contenta illa $\pi\acute{\rho}\alpha$ $\Phi\upsilon\sigma\iota\kappa\eta$ affecta, non tantum sint causa morborum, qui reuera in solidis & in continentibus partibus, tanquam proprio subiecto, semper consistant, hinc etiam perspicitur: quoniam fieri potest, ut continentia ipsa sint sana, & nihilominus tamen $\epsilon\upsilon\epsilon\gamma\gamma\epsilon\iota\alpha$ impediatur propter vitium contentorum: sicuti hoc testatur ipse etiam Galenus, lib. 1. Epid. Comment. 2. part. 46. ubi sic scribit.

11. Mementote uniuersum opus concoctionis $\tau\epsilon$ $\nu\omicron\sigma\eta\mu\alpha\tau\omicron$, in alteratione humorum consistere. Nam in particulis solidis est facultas, ut possint concoquere: unde si solida particula fuerint sana: tunc perficitur concoctio, quæ fit in humoribus: si autem & hæ ipsæ particulae solidae egrotauerint, $\omega\delta$: $\omicron\tau\alpha\nu\gamma\epsilon\kappa\alpha\iota\ \alpha\upsilon\tau\alpha\ \tau\alpha\upsilon\tau\alpha$, supple $\sigma\epsilon\pi\epsilon\chi\ \sigma\omega\mu\alpha\tau\alpha\ \nu\omicron\sigma\epsilon\iota$, & sic potentia illorum laborauerit, & morbus sit receptus in habitu: tunc ille morbus extremum adfert periculum.

12. Ex quibus Galeni verbis promptum est colligere, quod contenta non tantum habeant causam morbi, sed etiam morbum. Dicit enim concoctionem $\nu\omicron\sigma\eta\mu\alpha\tau\omicron\varsigma$, consistere in alteratione humorum: Vbi autem est concoctio morbi, ibi est morbus. Deinde cum dicit, si autem $\&$ haec ipsa solida agrotauerint, praesupponit alius continentia posse esse sana, $\&$ tantum $\delta\nu\omicron\kappa\epsilon\alpha\sigma\iota\alpha\pi$ esse in humoribus contentis. Tertio cum dicit, morbum tanto grauiorem esse $\&$ cum maiore periculo coniunctum, si etiam ipsa solida corpora agrotauerint, non tantum humores: subindicat leuius esse periculum, si tantum in humoribus $\delta\nu\omicron\kappa\epsilon\alpha\sigma\iota\alpha$ quaedam sit oborta.

13. Atque Aristoteles etiam morbidum sanguinem dicit, cum lib. 3. de hist. animal. cap. 19. menses in mulierib. appellat $\nu\epsilon\omicron\sigma\eta\mu\omicron\varsigma$ $\alpha\iota\mu\alpha$, vitiatum agrotumque sanguinis genus: Et eodem in loco, determinans de quouis sanguine dicit: $\nu\gamma\iota\epsilon\varsigma$ $\alpha\iota\mu\alpha$ esse sapore dulce, colore vero rubrum: sed deteriolem sanguinem, η $\phi\upsilon\sigma\epsilon\iota$, η $\nu\omicron\sigma\epsilon\iota$ nigriorem esse, $\&$ sanguinem praenimia cruditate humescere, sic ut sudor cruentus promanet, idem autor lib. 3. de partibus $\&$ causis animal. cap. 5. memoria prodidit: cui pulatur etiam Gelenus, lib. 3. de causis symptomatum.

14. Porro non ut duo sunt agens $\&$ patiens, continens $\&$ contentum: ita etiam dua sunt $\epsilon\nu\epsilon\gamma\gamma\epsilon\alpha$, cum continentia agunt $\&$ contenta patiuntur: sed una ad numerum est $\epsilon\nu\epsilon\gamma\gamma\epsilon\alpha$, quae est $\&$ dicitur actio, quatenus ab agente $\&$ partibus solidis ac continentibus excitatur, item passio, quatenus in contentis, tanquam in patiente $\&$ mobili subiecto recipitur $\&$ imprimitur. Unde liquet certe, quod ut perfecte $\epsilon\nu\epsilon\gamma\gamma\epsilon\alpha$ editur, $\&$ sic sanitas adest corpori, quando $\&$ agens agit, ut agere debet secundum naturam, $\&$ patiens ab illo agente, ut pati naturaliter debet, patitur: ita contra morbus existit, $\&$ $\epsilon\nu\epsilon\gamma\gamma\epsilon\alpha$ impeditur, vel quando agens ipsum, ut secundum naturam debebat, agere
non

5.
non potest: vel quando patiens subiectum actionem agentis non in se recipere, & sic non hoc, quod secundum naturam pati debebat, pati potest.

15. Quod si iam id quod ἐνέργεια primò impedit, est morbus, vitium autem & affectio πρὸ φουρί in contentis ἐνέργεια impediatur: cum propter illam pati non possint, id quod secundum naturam pati debebant à continentibus, impedita autem passione sua, actionem quoque continentium impediunt: cum ubi non sit passio, ibi non sit actio, ubi nec actio nec passio, ibi ἐνέργεια nulla: euincitur, in contentis quoque esse morbum.

16. Et quanquam hoc discrimen sit statuendum, quod proprio vitio continentium, actio primùm seu πρῶτος, passio autem δευτέρως secundario loco: similiter proprio contentorum vitio, passio πρῶτος, secundario autem loco actio, impediatur: etsi, inquam, hoc sit discrimen inter vitia contentorum, & vitia continentium, respectu partium vel rationum ἐνδρυείας: tamen in hoc non differunt, quod ἐνέργεια ipsa, ex actione & passione composita quasi, tam contentorum, quam continentium vitio & affectu impediatur.

17. Vnde quàm morbus dicitur, si proprium vitium continentis, actionem eius impediatur, ut si δυνερασία grauis occupet ipsas venas, ob quam sanguinem gignere nequeant, tam profectò morbus dici poterit, si proprium contentorum vitium passionem eorundem impediatur: (ut si succus ipse in sanguinem conuertendus, corruptus fuerit & διαφθορὰ laboret, ut à venis alterantibus non hoc pati possit, quod secundum naturam pati ab illis deberet:) quia utroque modo ἐνέργεια, qua subiecto & ad numerum una est, impeditur.

18. Neque hic aliqua est prerogatiua agentis præ patiente, quod ad ipsam ἐνέργεια exercendam attinet (licet aliàs omne agens præstet patienti, & partes continententes, ceu animata, digno-

gniores sint contentis, corporibus inanimatis) non, inquam, respectu excitanda ἐνδρῦεια, aliqua est prerogativa agentis præ patiente: cum tam patiens quam agens ad ἐνέργειαν unam, animatam & naturalem exercendam necessario & ex æquo concurrat & requiratur: ac tam ἐνέργεια nulla excitetur, si impedita sit passio, quam nulla est, si impedita sit actio: quemadmodum tam impeditur combustio, si non adsit subiectum combustibile seu καυσὸν, quam si non adsit καυστικόν, seu ignis.

19. Quare nihil certè causæ est, cur tum morbus appelletur potius, si agens proprio vitio agere non possit (ubi tum secundo quasi loco impeditur passio patientis) quam si ipsum patiens proprio vitio laborans, actionem agentis in se recipere, & sic non pati potest, quod secundum naturam pati debebat, ubi tum similiter secundo quasi loco impeditur actio agentis, ut quæ sine patiente esse non possit.

20. Neque existimandum, naturales, de quibus loquimur, ἐνδρῦεια simpliciter produci & excitari ab ipsis partibus continentibus, solidis & animatis, ut quasi ventriculus solus concoctionis vel confectionis chyli munus exercent, hepar aut venæ seipsis tantum sanguinem gignant, renes serosum excrementum attrahant, intestina feces & alui excrementa expellant, & reliquæ particule animati corporis, solitariè & seipsis tantum ἐνέργειαν exercent: cum ad omnes illas naturales ἐνδρῦεια exerceudas, patiens habile & idoneum subiectum requiratur. & quod si non sit, tam non excitatur ἐνέργεια, quam non editur illa, si agens non esset, aut, ut ageret, habile non existeret.

21. Sed hoc tantum statuendum, singulis animati corporis particulis, certam vim & facultatem, certam actionem exercendi, tributam concessamq; à natura esse, (sicut luculi inter hoc Galenus in libris de usu partium ostendit) & eam tum excitari, si præsto etiam fuerit habile patiens & idoneum subiectum, quod

quod tali modo à mouente moueri, & agentis actionem in se recipere, & sic pati queat, quemadmodum alias etiam in magno mundo certæ rebus ad agendum δυνάμεις viresq; sunt indita, quæ etiam suam actionem exerunt, si habilia patientia subiecta contingant.

22. Cæterum motus, quos patiuntur contenta, sunt quatuor, totidem scilicet, quot numero dicuntur esse facultates naturales: quibus morbo affectis, actiones earum aut deprauata, aut imbecilles, aut nullæ sunt, ut liquet ex 3. de causis symptom: ut ergo partes solidæ & continentæ, attrahere, retinere, alterare, & expellere aliquid sua vi possunt: ita contenta attrahi, retineri, alterari & expelli possunt.

23. Atq; ut tum sanitas existit ipsorū continentium, quando facultate sua attrahere, retinere, alterare & expellere possunt: cum aut non possunt, facultas eorū agendi laborat, & ipsis morbus primò inest: ita si contenta ex semetipsis vel attrahi vel retineri, vel alterari, vel expelli secundum naturam possunt, sanitas est in ipsis. Si verò hos motus sustinere & recipere non possunt, morbus ipsis contentis inhaeret, & πῶτος vitio contentorum ἐνέγεια animata impeditur. Et sic morbus existit non in continentibus, sed contentis.

24. Quod autem etiam ipse Galenus causas symptomatum, quæ nimirum sunt ipsi morbi, distinguat in vitia contentorum, & vitia continentium, colligitur ex lib. 3. de causis symptom. cap. 1. ubi sic scribit: Nosse oportet, an ventriculus nō concoxerit, ob vehementem concoctricis facultatis imbecillitatem, an ob immodicam copiam, an ob prauissimam aliquam ciborū qualitatem. Quod enim ex cibis oritur symptoma, facile emendatur, & quæ sequuntur.

25. Proinde si omnem penitus morbi rationem à contentis auferamus, tunc alterutrum horum duorum absurdorum nobis

B erit

erit concedendum, nimirum ut aut dicamus, symptomata in corpore hominis oboriri, eiusque ἐνδρῦειας impediri posse, nullo existente morbo, quod ab omni ratione alienum est: cum morbus sit hoc primum, quo impeditur ἐνέργεια, & symptoma sine morbo, quemadmodum umbra sine corpore, consistere nequeat: aut, ut dicamus, partes solidas & continentes sanas, & nulla δυνάμει affectas, agrotare tamen & laborare morbo propter impeditam ἐνέργειαν, quæ impedita scilicet est contentorum vitio, quod similiter est absurdum.

26. Neque ipsas partes solidas morbo laborare dicere possumus, si propter vitium tantum contentorum suas actiones non exercent, cum morbus sit διάθεσις & habitus eius, in quo inest. Sed in ipsis solidis & continentibus non inheret ex hypothese διάθεσις præter naturam, & contenta ad corpora eorum non pertinent, sed sunt aliquid ab ἐνέργεια continentium distinctum. Quare si neque continentibus, neque contentis insit morbus, & tamen morbus sit aliquis propter impeditam ἐνέργειαν, sequitur, morbum et accidens aliquod esse sine subiecto, quod est impossibile.

27. Nec est, quod affirmemus, in contentis, cum actio quandoque continentium impeditur, esse causam morbi, morbum aut ipsum simpliciter corpori toti adscribendum: cum omnis morbus, etiam uniuersalis, certum aliquod μέρος δυνάμει sibi vendicet. Ac si quandoque causam morbi partium solidarum & continentium, continent in se, ipsa contenta μέρος δυνάμει sic affecta: nihilominus ipsa morbida διάθεσις, ipsis continentibus, tanquam qualitas quedam & certum accidens inest & inheret, quam etiam à causa, quæ in contentis est, separare & distinguere oportet.

28. Porro morbum prorsus adimentes ipsis contentis, morbos quosdam è medio tollere coguntur, qui omnium tamen confessione pro morbis habentur. Sic namque febres putride & spiritales pro morbis habere & defendere non possunt: cum sanguis
in cor-

in corde πῶτον sit δεικνὸν putridarum, quemadmodum & Ephemeræ spiritus, & hæctica solida cordis substantia, etiam ipso autore Galeno, & consentientibus reliquis medicis. Unde si morbus seu febris tantum sit in solidis, necesse erit, omnem febrim hæcticam esse.

29. Contagium hoc caloris, quo solida partes etiam afficiuntur à calida intemperie contentorum, non est febris, sed calor tantum quidam symptomaticus & affectio καὶ χέρις. quæ finita febre cessat quoque & soluitur. Atque ut calor hæctica febris, specie differt à calore putrida: ita calor putrida differt ab eo calore, quem efficit in solidis, qui febris non est, sed καὶ χέρις affectio quedam seu πάθημα, nempe fiens quidam præter naturam calor, non autem factus seu perfectus.

30. Quod si in contentis, spiritibus nempe & humoribus, febres subsistere possunt, sicuti certè illa harum sunt subiecta & δεικνὸν, manifestum, quod etiam aliæ διαρροαίαι ac corruptiones, quæ cum in humoribus tum spiritibus, (cum ratio nulla dari possit, ob quam una potius, ut febrilis, quam alia quævis διαρροαίαι pro morbo haberi possit) excitantur quandoque, pro morbis eorum haberi debeant: & sic non solum continentibus, sed etiam contentis cum sanitatem tum morbum adscribendum.

31. Ac huiusmodi contentorum morbi ad genus duntaxat ἐνέργειων naturalium pertinent: cum in his tantum alterum sit continens, alterum autem contentum, & illud agere, hoc verò pati soleat, qua actione & passione una ἐνέργεια animata, seu naturalis tantum editur. In genere autem sensitiuarum & practicarum ἐνέργειων constitui non possunt: cum ad has exercendas non concurrat continens aliquod & contentum: sed ἐνέργεια simpliciter organis talibus adscribitur. Et hinc ut sanis illis sensationes, motusque arbitrarij eduntur: ita πᾶσι τοῖς illis affectis, morbus existit, quo ἐνέργεια illa simpliciter læsa sunt et impedita.

32. Obseruandum duplici modo contenta $\mu\pi\alpha$ $\Phi\upsilon\sigma\iota\upsilon$ affecta impedire posse actionem continentium corporum: uno modo generatim, quatenus opus nutritionis impediunt, vel totius corporis, si in maioribus vasis contenta illa $\mu\pi\alpha$ $\Phi\upsilon\sigma\iota\upsilon$ affecta consistant: vel certa alicuius particula, in qua vitata illa contenta herent, ut si lapis sit in vesica, aut lumbrici in intestinis, aut pus in thorace & pulmonibus, aut alia quaedam in alijs particulis $\mu\pi\alpha$ $\Phi\upsilon\sigma\iota\upsilon$ contenta, quae earum nutritionem impediunt, & temporis mora, si diutius in ijs consistant, vel deteriore in se habeant affectionem, vicinas quoque particulas in consensum trahunt, & earum $\epsilon\upsilon\epsilon\gamma\epsilon\alpha\upsilon$ labefactant.

33. Alter modus, quo $\mu\pi\alpha$ $\Phi\upsilon\sigma\iota\upsilon$ affecta contenta, actionem continentium impediunt, est specialis omnino: siquidem impeditio illa in specie refertur ad actionem agentis, quam in se recipere debebat, eam autem non recipiendo, impediunt etiam actionem agentis: cum si nulla sit passio, nulla etiam possit esse actio, ut ex superioribus liquet.

34. Nihil prohibet, quod minus interdum duos morbos constituamus, unum adscribentes contentis, alterum continentibus: ut si cum hectica copuletur & societur etiam febris putrida, quod accidere posse Gal. in lib. de differ. febrium testatur: aut si ventriculus propria $\delta\upsilon\sigma\kappa\epsilon\alpha\sigma\iota\alpha$ laboret, ut frigida, & simul in eo contineantur deprauata esculenta, quae concoqui & in chylum etiam a sano alijs ventriculo conuerti non possunt.

35. Interdum contentis adscribimus morbum, continentibus vero symptoma seu affectionem per $\sigma\upsilon\mu\pi\acute{\alpha}\theta\epsilon\alpha\upsilon$ & $\kappa\epsilon$ $\chi\epsilon\iota\sigma\iota\upsilon$, id quod in febribus putridis & spiritalibus accidere solet, aut si in vesica contineatur grumus sanguinis, vel in utero semen corruptum, ubi $\epsilon\upsilon\epsilon\gamma\epsilon\alpha\upsilon$ illorum vasorum impediri constat propter vitium contentorum, quod sua prauitate etiam alterat leuiter ipsa corpora eorum.

Inter-

36. Interdum contentis adscribimus symptoma, continentibus verò morbum, ut si calidius æstuansq; hepar calorem quoq; venis, quas continet, cõmunicet, easq; inflammet: sic tamen, ut ardor ille venarum restinguatur, quamprimùm hepatis φλόγῳσι; deferbuerit: & sic in venis symptomaticus tantum & κῆρ ἄεισιρ cõceptus fuerit calor: aut si arterie ἐκλεκῶ; calentes, κῆρ ἄεισιρ etiam calefaciant spiritus vitales, quos in se continent.

37. Ut ἀπὸ λῶς contentis adscribamus causam tantum morbi, sic ut non ipsa etiam ægrotent, & continentibus morbum, fieri vix posse videtur: cum necesse sit in hoc casu stabilem esse affectionem in contentis, quæ sic etiam continentium substantiam alteret & immutet. Si aut ita stabilis in ipsis est affectio, morbida certè erit, atq; sic duos morbos statuere oportet, unum cõtentorum, alterum continentium, licet prior posterioris sit causa.

38. Ut in præscriptis modò casibus, causam morbi à morbo ipso distinguere liceat, considerandum primò, quòd si duo fuerint morbi, unus contentorum, alter continentium, utrum eiusdem sint speciei vel generis, an verò alius morbus sit in contentis, & alius in continentibus. Ut si uterus à sua sede dimotus sit, & insuper menstruum corruptum in eo contineatur, qui duo morbi specie discrepant: posterius hoc si fuerit, tum neuter alterius erit per se causa, sed quisq; suam propriam habebit per se causam, atq; tum facilis etiam est discretio, ut cum morbos à se inuicem, tum etiam ipsos à suis causis distinguamus.

39. Sin duo illi morbi sint eiusdem speciei, considerandum, qui prius infestauerit, quod ex causis antecedentibus & externis cognosci potest: hunc enim posterioris causam constitues, & prioris aliam requires causam. Veluti si calidi & acres fuerint humores in venis, qui suum calorem iam ἐκλεκῶς venis ipsis communicauerint: itaque acres illi & feruidi humores causa sunt coniuncta posterioris morbi: nempe caloris venarum, atq; ydem

calidi & acres humores, ceu alter morbus, causam habebunt ante se, puta acrimoniam chyli, unde prognati sunt.

40. Neq; calor hic & acrimonia ipsorum humorum erit morbus ipsorum continentium: cum ipsis non inhaereat, morbum verò ceu διάθεσι parti, cuius dicitur esse morbus, inherere oporteat, sicuti albedo inest parieti, & animo virtus vel scientia. Similiter neq; ipsa acrimonia & feruor humorum erit morbus ipsorum humorum ceu contentorum: cum calor iste sit ex tertio qualitatis genere, morbum verò in primo collocari oporteat: sed causa morbi humorum erit ille calor: morbus autem tunc ipsorum humorum erit qualitas quadam & διάθεσι, ab acrimonia & feruore in ipsis humoribus existente causata & excitata.

41. Atq; in hoc primo casu non solum morbum à causa oportet distinguere: cum in curatione alia cause conueniant, alia morbo ipsi accommodentur: sed oportet etiam rationem cause distinguere: cum una ad numerum res, ut feruor & acrimonia, duos morbos excitare possit, unum in contentis, alterum in continentibus. In contentis quidem, quatenus ipsis inheret, in continentibus verò propter contagionem.

42. Quod ad alterum casum attinet, deprehendes contentis inesse morbum, continentibus autem symptoma: si sublata cruditate aut prauitate contentorum, ilicò continentia suas ἐνδογῆα exercere possint: Ut, si per vomitū reiectis prauis esculentis ingestis antea, ilicò ventriculus concoquere incipiat, quam ἐνδογῆα autem intermisit, quamdiu in ipso eiusmodi praua esculenta continebantur. Tunc enim contenta, quia pati non potuerunt, impediuerunt etiam actionem continentis corporis, & agentis ventriculi.

43. Et hoc nosse praesertim ad curationem pertinet: siquidem sublato contentorum vitio per medicamenta alterantia aut euacuantia, nihil est quod moliaris amplius: cum sponte
conti-

continentium illa $\kappa\epsilon\iota\sigma\upsilon\pi$ affectio solvatur & cesset, sic ut nulla peculiaria requirat & desideret auxilia: quemadmodum alias etiam fieri solet, si in diversis partibus, ubi una alteram non continet, excitentur affectus, quorum alter sit primogenius, alter per $\sigma\upsilon\mu\tau\alpha\theta\epsilon\alpha\pi$ tantum, ubi tum etiam illo sublato, hic si tantum $\kappa\epsilon\iota\sigma\upsilon\pi$ fuerit, sponte solvitur, & cessat. Veluti statim cessat dolor capitis, excitatus ab æruginosa bile in ventriculo contenta, quamprimum per vomitum excreta illa reiecta fuerit, ut in lib. de locis aff. Galenus docet.

44. Sin, quod in tertio casu fieri solet, continentibus insit morbus, contentis autem symptoma, quod cognosces, si non proximè præcesserint causa antecedentes & externa, quæ cruditatem aut prauitatem in illis excitare potuerunt: tum succurres primùm & per se affectui continentium, contenta verò curabis minus, si non valde grauis aut diuturnus fuerit continentium morbus, sic namq; vitio continentium sublato, sponte etiam affectio $\kappa\epsilon\iota\sigma\upsilon\pi$ in contentis solvitur.

45. Quòd si vehementior fuerit $\delta\upsilon\sigma\kappa\alpha\sigma\iota\alpha$ continentium, aut diutius durauerit: tum, quia propter mutuam illam contagionem vehementius alterata erunt ipsa contenta, utiq; ipsis ceu egrotantibus iam, & non $\kappa\epsilon\iota\sigma\upsilon\pi$ tantum laborantibus, priuatim succurres, quod idem faciendum in secundo casu. Quibus perspicui potest, presentem, quam absoluimus modò, de contentorum morbis, questionem, non tam in $\delta\epsilon\omega\sigma\iota\alpha$, quam potius in $\pi\epsilon\sigma\alpha\kappa\alpha$ locum usumq; habere: sicuti hoc plenius ex 3.

Galenus de symptom. causis libro cognosci potest.


F I N I S.


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint markings or text at the bottom of the page.









7

utatio

TO MORBI:

LV A,

M. A.

DE CLA

NDREA PLANE

DRE ET PROFESSORE

ubingensi celeberrima, Præ-

& obseruantia colendo:

hora septima matu-

um Auditorio,

sa respon-

dit,

ML 286^a

VVINGGERVS

orffensis.



N G AE,

s Gruppenbachius.

1585.

